

immundis imperare debuerant, ab ipsis propter malam vitam tam viliter illuduntur. MONACHUS: Hoc est quod Psalmista conqueritur dicens: *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est* [335] *illis*. NOVICIUS: Videtur mihi ex supradictis, quod quandoque homo diabolo materiam det tentandi. MONACHUS: Hoc verum esse, uno tibi ostendam exemplo.

CAPITULUM LI.

De monacho a labore caulium recedente, et a diabolo per speciem mulieris mox tentato.

Stabat aliquando conventus de Hemmenrode in horto, plantaria caulium terrae infigans. Stabat et monachus unus cum ceteris, Thomas nomine, cui talis coepit cogitatio suboriri: Si modo esses in domo patris tui, ancilla tua non dignaretur tam vilissimum opus facere. Exiit ergo de medio fratrum cum indignatione, illuc eum ducente spiritu superbiae, ubi fortius eum posset impugnare. Cum ergo in silva solus esset, tentator affuit, et quem prius sola cogitatione pulsaverat, nunc aperta impugnatione et visibiliter aggreditur. In specie namque mulieris apparens, coepit alloqui eum. At ille digitum superponens ori suo, signavit sibi non licere loqui. Sed mendaciorum omnium caput et pater, illico per mulierem illam phantasticam, quam effigiarat ad deceptionem, respondit: Quid hoc sit, inquit, nescio. Ego venio de conventu, et Prior dedit mihi licentiam ut loquerer tecum. Creditit ille, et locutus est. Tunc illa asseruit, parentes ipsius misisse pro eo, et oportere cum Treverim ire secum ad emendum equum, et sic transire in terram suam. Praecedendo igitur misera, miserum ducebat, ipsa quidem fructuorum omnium condensa sine impedimento transiens, ille vero cum magna difficultate sequebatur.